



INDEX.

I.	—	—	—	Excercita controversiarum illustrium de Soto Vellezano.
II.	—	—	—	de sponsalibus.
III.	—	—	—	de tutela ex jure publico, testiali et canonico.
IV.	—	—	—	de testamento inefficioso.
V.	—	—	—	de Testamentis Principum Imp.
VI.	—	—	—	de successione ab intestato quoad ascendentes et collaterales.
VII.	—	—	—	de consilio.
VIII.	—	—	—	de comodato.
IX.	—	—	—	de cambio.
X.	—	—	—	de actionibus.
XI.	—	—	—	de artibus.
XII.	—	—	—	de aedificiis.
XIII.	—	—	—	de fidejussoribus.
XIV.	—	—	—	de servitio imperii.
XV.	—	—	—	de donationibus mortis causa.
XVI.	—	—	—	de liberis illegitimis.
XVII.	—	—	—	de legitima.
XVIII.	—	—	—	de lege Rhodra de jactu.
XIX.	—	—	—	de jure et eius officio.
XX.	—	—	—	jure verandi.
XXI.	—	—	—	de rebus pro derelictis habitis.
XXII.	—	—	—	de patria potestate.
XXIII.	—	—	—	de pretio in emptione venditione.
XXIV.	—	—	—	de appropriationibus.
XXV.	—	—	—	de vi publica vel privata.
XXVI.	—	—	—	de testamentis.

Wd. 79.

Q. D. B. V.
DISSERTATIO JURIDICA,
DE

LXXV.

FURTIS,

QVAM

Divina Favente Gratia,

PRÆSIDE

VIRO *Nobilissimo, Amplissimo,*

Consultissimo, atq; Excellentissimo

DN. JOHANNE HENRICO
FELTZIO,

J. V. D. Pandect. & Jur. Can. Profess. P. &
Ordinario Celeberrimo, Facultatis Jurid.
p. t. Decano,

SOLENNI Eruditorum Examine

submittit

LVDOVICVS MENA,
Metensis,

Auctor & Respondens.

Ad D. v. Jan. M DCC VIII.



ARGENTORATI,
LITERIS JOHANNIS FRIDERICI SPOOR.

DEO
OPTIMO
MAXIMO.





*Antequam ad institutum
progrediamur, non erit abs re, pauca
de delictis præmittere.*

THESIS I.



Delictum definitur factum
spontè admissum, honestati, & ju-
ri contrarium, eoque animadver-
sione dignum *l. 39. ff. de furt. &*
l. 4. ff. de sicar. Hinc excludimus
delictum solâ cogitatione conce-
ptum, de quo Deus solus judicat
l. l. §. i. de furtis.

II.

Delinquent omnes masculi, & foeminae, filiifam.
*l. 7. §. i. ff. de jurisd. servi l. 14. ff. de O. & A. muti & sur-
di, modo appareat, illos rationis usu non esse destitu-
tos; nec non prodigus, addi possunt minores, qui vix
excusantur, & à poenâ ordinariâ haud faciliè liberantur
l. 37. §. i. ff. de min. 25. ann.*

III.

Econtra ex delicto non obligantur, neque argui
possunt furiosi *l. 12. ff. ad Leg. Corn. de Sicar.* modo non

A

ha-

(2)

habeant dilucida intervalla ; neque ob delictum ante commissum puniuntur in furore : neque infantes ; hos enim innocentia consilii excusat *l. ii. ff. ad Leg. Corn. de Sicar.*

IV.

De dormientibus idem statuendum videtur, eo, quod mortuis quoad intellectum æquiparantur ; mortui vero non censentur posse delinquere ; si tamen sciunt, se dormientes surgere, ac vim inferre solere, nec se ligari aut cubiculo includi curarunt, vel alio modo huic rei præcaverunt, tunc poenæ extraordinariæ erit locus.

V.

Committuntur in personas quasvis *l. 3. §. i. ff. de Injur.* Caterum ad probationes delictorum requiruntur testes idonei *l. f. C. de Prob.* & instrumenta *d. l. f.* vel confessio reorum *l. un. Cod. de Confess.* modo de corpore delicti constet, vel indirectè saltem manifestissima id declarent indicia, quæ vix definiri possunt, sed iudicum arbitrio relinquuntur. *Sed hæc de delictis in genere sufficiant, nunc pro instituto ad furtum descendendum est.*

VI.

Est autem illud contrectatio rei alienæ fraudulosa lucri faciendi gratia vel ipsius rei, vel etiam usus ejus possessionisve, quod lege naturali prohibitum est admittere *l. i. ff. de furt.*

VII.

Hinc patet contrectationem hanc fieri non solum naturali rerum amotione, sed & abusu rei ex
justa.

695 (3.76.3)
justa causa apud aliquem existentis *l. 29. pr. deposit.*
Neque vero sufficit cogitatio *l. 1. §. 1. verbum l. 52.*
§. 19. inficiatio sola l. 67. sed requiritur animus frau-
dulentus.

VIII.

Vnde, si quis permittente domino contrectet,
licet dolo, vel econtra, sine dolo, tamen si invito, non
dicitur furtum fieri; non enim fit sine affectu furan-
di *§. 7. J. de oblig. qua oriunt. ex delicto.*

IX.

Iisdem rationibus furtum non faciunt, qui libi-
dinis, vel damni dandi causâ contrectant, quia hoc
non. lucri faciendi causâ faciunt *l. 39. & 53. ff. h. t.*

X.

Ex hoc fundamento recte infertur, quod, si quis
stimulante fame in casu summæ necessitatis cibum
alteri auferat, furtum non faciat, quæ sententia no-
bis etiam probatur; non obstante, quod in *Const.*
Crim. Car. V. art. 166. surripiens dicitur ein Dieb/ &
astio ipsa ein Diebstal; hoc enim improprie & abu-
sive ita dicitur.

XI.

Qui vero lucri faciendi animo alieni quid
contrectavit, licet postea mutato consilio id domi-
no restituat, fur propterea esse non desinit; nemo
enim in tali peccato poenitentia sua nocens esse de-
sinit

fiit *l. 65. h. t.* adeo, ut nec poena in foro conscientiae pro delicto imposita, delinquentem à poena in foro soli liberet.

XII.

Contrectatio fit immediate vel mediate: Immediate, cum contrectatur res à fure, vel rem ipsam, vel usum, possessionemve rei sine voluntate domini, vel ejus, ad quem pertinet possessio, capiendi, vel intervertendi & sibi habendi animo, qui apparet ex ablatione & conjunctus est cum eâ, licet aliquando impediatur rem perferre, uti destinaverat *l. 7. §. 2. l. 21. pr. & §. seq. h. t.*

XIII.

Mediatè vero, quando quis adjuvat consilio, ut alius ipse contrectare rem, & auferre possit *l. 53. vel ablatam ejusve pretium retinere queat, eam scilicet celando l. 48. §. 1. aut scienter eam emendo. l. 12. h. t.*

XIV.

Duplex statuimus furtum: aliud manifestum; aliud nec manifestum. Primum, cum fur in ipso actu apprehenditur; aut cum re furtiva addito clamore, antequam pertulisset, quo destinabat, sive à domino, sive à vicino, sive quolibet alio transeunte apprehenditur *l. 3. §. f. h. t.* non sufficit sola visio *l. 7. §. 1.* Quid sit nec manifestum, ex dictis patet: hinc, qui fert opem aut consilium, plerumque furti tenetur nec manifesti.

XV.

XV.

Neque hanc divisionem sublatam esse statuimus, id enim nusquam est expressum; licetque hodie extra ordinem ad poenam capitalem agatur; id ipsum tamen non obstat, quo minus quis, si malit, in duplum, vel quadruplum agere queat, cum iudicia ordinaria cessent potius, quam extincta sint.

XVI.

Causa efficiens est jus naturale, Gentium & Civile, quippe quorum singulorum tenore prohibetur delictum. *l. i. §. 3. h. t. l. 42. de V. S. & malitiosa furis voluntas §. 2. J. de usucap.*

XVII.

Impulsiva vero interna potest esse indigentia, aut luxuria; externæ sunt, tum loci, & temporis oportunitas, unde prodiit illud commune adagium: occasio facit furem *l. i. §. ille autem. C. de lat. libert. toll.* tum rerum pretium, amabilitas, &c.

XVIII.

Committere furtum possunt omnes cujuscunque sexus, aut conditionis homines doli capaces *l. 23. h. t. etiam tutor, vitricus l. 11. Cod. h. t.*

XIX.

XIX.

Patiuntur omnes, quorum interest immediate ex causâ justa, rem non auferri: nec est quod asseramus, furtum impune fieri meretricibus.

XX.

Utrum vero procuratori vel nuncio, qui aliquam rem perferendam accepit, furtum fiat? quæritur. Non simpliciter affirmandum, sed distinctione opus est; nempe si culpa procuratoris interveniat, affirmandum *l. 14. §. 6. & 10. h. si dolus, negamus. Indignus enim tunc videbitur, cui detur actio furti.*

XXI.

Rei autem alienæ sit furtum; (res vero aliena est illa, quæ est alterius, vel in qua alter jus habet vel in re vel ad rem. *l. 11. §. 2. l. 15. §. 5. 6.*) mobilis corporeæ *l. 27. & 22. §. f. h. t. licet minimæ §. 16. J. de R. D. modo possessæ l. 1. §. 15. de his qui test. libert.*

XXII.

Inde patet, quod rerum hæreditariarum ante aditionem furtum non fiat *l. 68. h. t.*

XXIII.

An vero partem contrectans totius furtum faciat, magnæ inter DD. agitantur lites; nos distinctione rem confici posse putamus; nempe, an, qui partem

partem abstulit totum auferre potuit, & de toto tenetur furti actione non conditione *l. 21. §. f. h. an non potuit, & de eo, quod non abstulit non tenetur l. 21. pr. h. t.*

XXIV.

Non inspicitur hic utrum fur sciverit, cujus res sit vel non *l. 43. §. 4.* nihil enim ad furtum minuendum facit, quod fur, cujus res sit, ignoret; cum (ut Imperator Justinianus rescripsit) scire debebat, quod suum non est, hoc ad alios modis omnibus pertinere *l. f. C, unde vi.*

XXV.

Vnde & in Rebus naufragio amissis, aut de curru prolapsis furtum committi posse statuimus *l. 3. pr. ff. de Incend, ruin. naufr.*

XXVI.

Fur nocturnus potest impune occidi, modo sit incognitus, nec testes adsint, vel capi non possit & hæc occisio fiat præcedente clamore, & quidem pro defensione corporis, vel rerum *l. 9. ff. ad Leg. Corn. de Sicar.*

XXVII.

Diurnus vero non item, nisi se telo defendat *l. 1. §. 1. ff. ad Leg. Aquil. l. 54. §. 2. ff. h.* itaque furtum patiens retinet jus, quod in re habet, turbatur vero in possessione *l. 3. §. 18. de A. vel A. pos. habetque*

B

furem

furem sibi obligatum. Res furto ablata fit vitiosa, neque potest usucapi ab auferente, vel alio b. f. possessore *l. 11. C. de A. vel. A. P.*

XXVIII.

Vindicantur furta, vel remediis ordinariis, vel extraordinariis.

XXIX.

Ad ordinaria spectat actio furti, quæ est vel furti manifesti in quadruplum: vel nec manifesti in duplum; quæ quidem distinctio licet firmis nitatur rationibus, in Gallia prorsus inutilis est.

XXX.

Petitur vero res actione vel præparatoria, ad exhibendum; vel principali conditione furtiva, quæ cum hac cumulari potest vel vindicatione *l. 7. §. 1. ff. de Cond. furt. l. 12. 13. C. h. t.*

XXXI.

Datur hac actio illi, cujus interest ex justa & honesta causa *l. 10. & 11. ff. h. non etiam Domino, cujus nihil interest; V. G. qui habet alium obligatum ad rei suæ æstimationem præstandam §. 13. & 15. J. de oblig. quæ oriunt. ex del. V. G. fullonem, vel farcinatorem. Contra hos enim semper dominus agere potest, quia custodiam præstare tenentur, modo solvendo sint l. 12. ff. h.*

XXXII.

XXXII.

Hæc actio competit quoque absolute loquendo etiam possessori b. f. ut emptori, modo res ipsi tradita, ut innuitur in *l. 14. princ. h. t.* hoc enim non supposito, jure stricto, & subtili actionem furti habebat venditor *d. l. 14.* quia etiamnum dominus est.

XXXIII.

Commodatario si res subrepta, non indistincte ipsi datur hæc actio, sed tantum, si dominus noluerit agere adversus furem, sed adversus commodatarium actione commodati.

XXXIV.]

Itaque competit electio commodanti, quia sine ulla sua commoditate Commodatorio usum rei suæ concessit, quarum una electa non potest ex poenitentia variare & ad alteram redire.

XXXV.

Hinc non datur iis, quorum non interest, vel interesse desit *l. 55. §. 29. ff. h. vel non honeste interest aut non immediate l. 14. §. 11. h. t.* depositario enim dolum præstanti non datur *l. 15. ff. de R. J.*

XXXVI.

Idem quoque asseritur, de iis, qui rei alienæ
 B 2 custe-

eustodiam non præstant, licet ipsis res subripiatur: ut sunt pater, cujus filio res commodata: & fidejussor, qui pro commodatario, vel colono fidejussit.

XXXVII.

Datur adversus fures, etiam novercam, & vitricum, *l. 3. & II. C. h. t.* non tamen contra servos liberosque proprios, nihil proprii habentes, *l. 41. §. 2. ff. h.* neque contra patrem ob reverentiam parentibus debitam, quæ efficit, ne contra eos turpis actio detur, *l. 1. 2. & seqq. ff. de Obseq. par. & patr. prest.*

XXXVIII.

Quæ ratio cum sit generalis ad omnes parentes pertinens, consequens est, ut nec adversus matrem avumve maternum detur.

XXXIX.

Præterea liberti, atque clientes patronis, mercenarii iis à quibus sunt conducti non tenentur furti in levioribus; hæc enim sunt domestica furtiva, quæ publice non sunt vindicanda *l. II. §. I. ff. de Pen.*

XL.

Et hoc quidem Jure Civili; non vero praxi neque Jure Gallicano; hæc enim furtiva eo gravius puniendi, quo major talibus personis domesticis fides adhiberi solet,

XLI.

XLI.

Et qui iis personis consilium opemve tulerit
 haud dubie furti tenetur *l. 52. pr. ff. h.* non tamen
 furti tenetur, qui fugitivo iter monstrat, quia opem
 non fert, nec consilio furtum instruit, quod jam fa-
 ctam est *l. 52. h.t.*

XLII.

Remediis extraordinariis accensetur Criminalis
 persecutio, qua agitur ad poenam fisco applicandam
l. f. h. quæ tamen nonnunquam extendebatur ad
 membri abscissionem *N. 134. Cap. f.*

XLIII.

Constitutione tamen Friderici ad mortem ex-
 tendi potest, si quinque solidos excedat *2. f. 27. §. f.*
 & quidem expressius *Const. Crim. Car. V. art. 157. 158. & c.*
 quæ distinguit inter furtum simplex, & qualifica-
 tum.

XLIV.

Primum est, si quis infra quinque aureos, cujus
 valor erat tempore conditæ *Const. 60. Creuzer/* &
 quidem prima vice, modo non sit manifestus, cujus
 poena si sit solvendo, est dupli, sin minus, succedit
 carceris poena, quam tamen exantlatam excipit re-
 fusio expensarum, & præstatio urphedæ.

XLV.

Si autem fit manifestus, & quidem vilioris conditionis, ad numellas positus fustigatus perpetuo relegatur. *art. 158.* honestoris vero, & ejus de quo emendationis vitæ habetur spes, poenæ mitigationi locus est ex consensu superiorum & statuum: adeoque quadruplum præstat, & ad tempus carcere punitur.

XLVI.

Qui alterius domum, vel horreum, vel apothecam effregerit, aut conscenderit, aut armis, quibus obsistentem lædere possit, ad furandum ingressus, gravius delinquit *C. 3. X. de homicid.* adeoque gravior poena iis infligenda, diversa quidem: in maribus enim est suspendii: in fœminis nulla circumstantia mitigationem imperante est suffocationis in aqua.

XLVII.

Qui magnum committit prima vice nempe quinque florenorum pretium vel amplius continens, punitur arbitrarie habita ex Consilio juris consultorum ratione circumstantiarum, scilicet rei furtivæ quantitatis, qualitatis furis, ejus deprehensionis, damni illius, qui inde læsus est, adeo ut raro ex mente *art. 160.* ultimo supplicio afficiatur.

XLVIII.

XLVIII.

Qui secundum, si utrumque quinque solidos non excedat, tunc punitur publica pro numellis positione, relegatione, vel confinemente, siue manifestum sit, siue non.

XLIX.

Cæterum si hæc duo furta quinque solidos vel amplius contineant, tum dispositio *articuli* 160. observanda; qui vero tertium, quod à prioribus re & tempore distinctum licet in diversis territoriis, reus suspenditur vel suffocatur, ut supra dixi.

L.

An autem, si furtum quarta vel tertia vice vel pluries ab eodem commissum, poena exasperari debeat, ut scilicet reus trahæ impositus ad locum iudicii captetur, aut ferro candenti ustuletur, aut rota contundatur? quærunt Interpretes. Negat Carpz. 4. *Const.* 32. *def.* 19. *cujus* vestigiis & ipsi insistimus, quod Legislator hic ulterius non progrediatur distinguendo, aut poenam intendendo, adeoque nec nobis licet *arg l. 1. §. 4. ff. ad Sct. Turp.*

LI.

Licet fur alibi reperiatur cum rebus subtractis, non potest puniri, nisi in loco delicti adeoque illuc remittendus *l. si cui. §. f. ff. de Accusat.* sic quoque vagabun-

gabundus puniendus in loco delicti, si petatur remissio à iudice loci delicti, si non, tunc ubi reperietur.

LII

Potest autem magistratus inquirere de furto ejus, qui subditus est ratione originis, vel domicilii, alibi tamen commissio. *l. i. §. quies. ff. de off. pref. nec tenetur condemnatum ad magistratum ejus loci in quo deliquit, remittere ut ab eo puniatur l. i. C. ubi de Crim. aq. oport.*

F I N I S.



Ka 3202.

Vp
18

ULB Halle

007 678 533

3



Q. D. B. V.
DISSERTATIO JURIDICA,
DE

FURTIS,

QVAM
Divina Favente Gratia,
PRÆSIDE
VIRO Nobilissimo, Amplissimo,
Consultissimo, atq; Excellentissimo
DN. JOHANNES HENRICO
FELTZIO,

J. V. D. Pandect. & Jur. Can. Profess. P. &
Ordinario Celeberrimo, Facultatis Jurid.
p. t. Decano,

SOLENNI Eruditorum Examine
submittit

LUDOVICVS MENA,
Metensis,

Auctor & Respondens.

Ad D. v. Jan. M DCC VIII.



ARGENTORATI,
LITERIS JOHANNIS FRIDERICI SPOOR.

LXXV.

Blue
Cyan
Green
Yellow
Red
Magenta
White
3/Color
Black

Farbkarte #13

B.I.G.

Inches
Centimetres
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20